

clamitarunt, nos Lutheranos ex absolutâ Dei Omnipotentia concludere quidvis, & vel ex hac solâ, per petitionem principii, presentiam Corporis Christi in terris asserere: cum tamen ordiamur à Verbo, ex quo initio certis & indubitatis Argumentis concludimus, ubinam locorum Christus, quoad carnem, se affuturum dixerit ac promiserit, ut in Coenâ Dominicâ, Ecclesiâ, in Gubernatione totius Mundi, &c. Nunc audimus à Pareo circumscriptores & abnegatores Omnipotentia Dei, quia non, missò Verbo Dei & sensu literali, ab Omnipotentia Dei initium facimus & inde concludimus, quomodo verba Christi sint accipienda. Quæ si pugnent cum ratione, protinus per Allegorias & distortas Interpretationes, aut etiam pueriles ineptias esse eludenda. Annon sunt hæc egregia præstigia, ex Matæotechnia Agyrtarum mutuata? Nimirum, interdum propter id, quod in Scripturâ occurrit & rationi non allubescit, Omnipotentiam Dei esse coarctandam: interdum verò ab hac initium faciendum, & expressam literam negandam. Impium. Sed hætenus de 4. Articulo.

Petrus Martyr
supra Mem-
brum I V. hujus
Articuli.

ARTICULUS V.

- I. Quòd (*Calviniani*) Deum tantum Potestate, non Essentiâ immensum credant & faciant?
- II. Sicut proximè præcedens Articulus fuit de Omnipotentia Dei, an Calviniani eam restringant: ita hîc jam de eisdem Omnipresentia seu Immensitate agit.
- III. Sententia Orthodoxorum, ex fontibus Israëlis hausta, & hætenus in Ecclesiâ fideliter conservata, est, quòd Deus omnibus suis Creaturis non tantum infinitâ suâ virtute seu potentia; sed etiam immensâ suâ Essentiâ & Substantiâ adsit præsens, nullo loco finitus; circumscriptus seu terminatus; sed ubique, omnia & singula in Mundo & extra Mundum penetrans & replens. Id quod sequentibus rationibus demonstratur.

Ccc 3 1. Quia